



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 12. De Suffragiis communibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

loqui, cum ibidem etiam Vigilæ (de qua nihil fit in Vesperis) & B. MARIÆ in Sabbato ac Simplicis (de quibus nihil dicitur in secundis Vesperis) mentionem faciat ; Laudibus autem & primis Vesperis semper Semiduplex precedat Octavam, cum hæc in Vesperis dividat eas cum Semiduplici sequente. Sed quia etiam pro secundis Vesperis clarum exemplum in festo S. Thomæ Cantuariensis habemus in quibus Commemorationem ante omnes Octavas facere jubemur, ideo fatendum videtur, Rubricam in citato textu universaliter locutam esse (maximè cum nullam distinctionem inter primas & secundas Vesperas faciat) atque adeò per particularem hanc Rubricam generali derogare voluisse, ut sæpius facere cõsuevit. Atq; ita sentit etiam Gavant. l. 3. c. 1. n. 39. ubi allatū pro cõtraria opinione dubiū solvere conatur dicendo, in ratione Officij dividi Vesperas, eò quòd in hoc perinde, ut in Commemorationibus, dignitas attendatur, unde cum Semiduplex sit Festum, dies infra Octavam autem duntaxat continuatio Festi, meritò illius Commemorationi atque hujus Commemorationem facienda videtur. Sed hæc ratio est contra ipsum Gavantum, qui l. 3. c. 8. n. 22. ait, si die Octava cum Dominica privilegiata secundæ classis, & Festum primæ classis occurrat, in Vesperis prius Commemorationem de Semiduplici præcedente, quàm Octava die faciendam esse, eò quòd Semiduplex dimidium Vesperarum occupat; ergo in tali casu non attenditur dignitas Officij, et utique dies Octava nobilior sit semiduplici Festo. Rectè ergo tota hæc diversitas in solam instituentium voluntatem & arbitrium conjicitur.

IV. Oratio quævis inchoatur ab *Oremus*, non tam clauditur, nisi sit ultima ex ijs, quæ dicuntur.

§. XII.

De Suffragiis communibus.

I. **F**iant hæc Suffragia eodem tempore, ordine, & modo quem in Laudibus observandum diximus, nisi quæ Antiphonæ & Versiculi, qui orationi præmitti solent, ex secundis Vesperis sumendi sint, nisi prius jam dicti sint, tunc enim ex Laudibus accipi debent; aut si hi etiam jam dicti non diversi sint, ex primis Vesperis.

II. Te

II. Reliquo tempore Paschali loco horum Suffragiorum Antiphona cum Versiculis & Oratione de Cruce, & quidem sola dicitur.

§. III.

De Clausula.

I. **I**N Choro clauduntur Vesperæ, si Completorium non sequatur, eodem modo, quo Laudes finiri supra dictum est. In privatis verò Vesperis post Versiculos, *Dominus vobiscum*, *Benedicamus*, *Fidelium* subjungitur tantum Oratio Dominica; vel si Completorium sequatur, etiam hæc omisâ statim dicitur *Iube Domine benedicere*. Si tamen post Vesperas aliud quodpiam Officium, vel Litaniæ sequantur, omitti debet Versus *Fidelium*, sicut supra tit. 2. §. 12. dictum.

TITULUS VI.

DE COMPLETORIO.

§. I.

De Initio.

I. **I**Nitium fit à petitione Benedictionis, recitatione Lektionis brevis, Versu *Adiutorium*, Oratione Dominica, Confessione, Absolutione, & Versiculis *Converte*, *DEVS in Adiutorium*, quæ tamen omnia (exceptâ Confessione & Absolutione) omittuntur in Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves.

II. Qui solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omisâ illis verbis *Tibi Pater*, & *vobis Fratres*; quando verò dicit *Misereatur*, aut *Indulgentiam* dicat *nostri*, & *nostrorum*, non *mei*, & *meorum*.

§. II.

De Antiphona.

I. **S**emper dicitur exceptis Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves. Neque unquam mutatur nisi tempore Paschali, ubi illius loco tria Alleluja dicuntur, quibus per Octavam Paschæ quartum additur.

II. Ab initio nunquam integra dicitur, sed tantum in fine Psalmorum.

Instruēt. II.

D

§. III. De

II. Te